



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Casuum reseruatio suos gradus obtinet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

48 Casus referuati.

sequenti feria : seu quouis alio modo fictio cambii fiat. Et hæc sunt manifestè iniqua : quum verè sit ibi contractus mutui cum tali interesse.

Quædam verò sunt quibus pecunia Romæ data per literas cambii soluntur abbi . Et hæc sunt licita: si referuato solito, moderato tamen lucro nummulariorum sunt. Quædam demum sunt cambia ad minutum putà quum pro ducato dantur decem argentei, aut econtra . Et in his moderatum quoque lucrum non damnatur: iuxta diuersarum patriarum consuetudinem.

Casuum referuatio suos gradus obtinet.

Casus referuati sedi apostolicæ clari sunt . Nam sunt soli quos Ecclesiastica censura (hoc est excommunicatio) referuat apostolicæ sedi, quos infra habes in verbo, Excommunicatio.

Casus verò referuati Episcopo ambigui sunt. Et propterea sequendo regulam, dimitte incertum, & tene certum. Et nisi priuilegiatus in hoc sis, conformate in qualibet diocesi consuetudini seu statuto illius Ecclesiæ, quoniam consuetudo dat & tollit iurisdictionem in huiusmodi.

Et scito quòd si excommunicatus ob simoniam, verbi gratia obtinuit à Papa absolutionē ab excommunicatione, poterit confessor simplex ipsum absolue à peccato simoniæ: quia ex quo ratio referuationis cessat, consequens est vt ipsa referuatio annexi peccati cesserit. Et similiter si quis semel absolutus est à referuatis, quamuis inefficaciter quòd ad salutem animæ suæ (putà quia incontritè) potest postea iterum confitendo à simplici confessore absolui etiam ab illis referuatis: quia ex quo semel beneficium absolutionis concessum & executioni mandatum est legitimè in foro Ecclesiæ, rationabile est vt non habeatur amplius

Chorearum pec. 49

plus pro referuato : vtpotè semel cognitum & iudicatum ante tribunal, cui erat referuatum.

Chorea quibus casibus licita aut illicita fit.

Chorearum peccatum cautè considerandum est: quoniam choreas ducere ex suo genere non est peccatum. Nam si ex suo genere esset peccatum, semper formaliter loquendo esset peccatum, quod constat esse falsam: nam in nuptiis & publicis lætitiis licitæ sunt choreæ.

Quia igitur choreis peccatum non inest per se, sed per accidens, non sunt damnandæ choreæ. sed accidentia mala quæ à malis abutentibus bono immiscentur. Et quoniam infinita possunt vni accidere, extra rationem scientificæ doctrinæ est de accidentibus docere.

Propter instructionem tamen pusillorum scito, quòd ex tempore (putà die festo) chorea nō fit mortalis: quia non est opus seruale, imò imprudenter arcentur à choreis rustici festis diebus chorizare assueti: qui nisi occuparentur choreis, vacarent otio & malis machinationibus perturbatiuis rei publicæ. Et simile est de similibus iudicium.

Ex frequentia quoque chorea non fit mortalis, vtpatet: sicut nec frequentia conuiuui facit illud mortale.

Ex periculo verò prouocationis ad libidinē, vnusquisque seipsum mensuret, & videat si exponit se periculo. Ego ex genere actus periculum nō cognosco: quoniam actus choreæ non est libidinis, sed lætitiæ. Et propterea si ex qualitate personæ periculum alicui imminet, prouideat sibi sicut debet cauere sibi ab aspectu mulieris, si ex aspectu sibi cognoscit imminere periculum. Ex actibus deinde leuitatis, qui quandoque ibi immiscentur (dum aliquis intorquet digitos mulieris cum qua choream duxit) non plus quàm veniale peccatum.